

Beniamin, seu versus terminos eius Boreales, Iosue 16. 7. & cap. 18. 12. Distabat, teste Iosepho lib. 5. Belli cap. 4. à Iordane 60. stadiis, ab Ierofolymis 150. Aliquando dicta est *civitas palmarum*, uti 2. Paral. 28. 15. ob palmarum in eius territorio abundantiam.

IERIMOTH, Iosue 10. 5. & *Ierimoth* dicitur 2. Esdræ 11. 29. civitas attributa tribui Iuda, Iosue 15. 35. Quarto, ut dicit Euseb., distabat ab Eleutheropoli lapide, iuxta villam Esthaol.

IERON, Iosue 19. 38. urbs in tribu Nephthali.

IEROSOLYMA, 1. Machab. 1. 15. Vide *Ierusalem*.

IERUEL SOLITUDO, 2. Paral. 20. 16. iuxta Calmet, sita erat ad occidentem maris mortui. Alii videtur esse pars deserti Thecæ.

IERUSALEM, primitus dicta est *Salem*, Gen. 14. 18. postea *Iebus*, Iosue 18. 28. & Iudic. 19. 10. ac tandem Ierusalem, ac Græcis Ierofolyma, in Scripturis frequentissime auditur. Eam in tribu Benjamin ponit Iosue cap. 18. 28. parte tamen una, in tribu Iuda fuit, communi funiculo utriusque tribus ducto per verticem montis Moria: ex quo necesse fuit totum montem Sion ad Austrum relinquere in tribu Iuda, totam verò ferè inferiorem civitatem ad Septentrionem relinquere in tribu Benjamin. Significat vox Ierusalem, visionem pacis. Totius Iudææ Metropolis fuit munitissima, ac omnium Orientis urbium longè clarissima. Encomia huius urbis sunt innumera, in utriusque Testamenti pagina celebrata; v. g. quòd Davidis, Salomonis, tum regni Iudææ throno; quòd summorum Pontificum sede; quòd Salomonis templo ornata, ac Salvatoris nostri Iesu Christi passione decorata fuerit. Tantæ urbis everisionem prædixit Christus, Matth. 24. 15. Marc. 13. 14. Luc. 21. 20. quæ intra quadragesimum à Christi morte annum evenit, sub Vespasiano ac Tito Romanorum Imperatoribus.

IESANA, 2. Paral. 13. 19. videtur fuisse urbs in tribu Ephraim.

IESIMON, 1. Reg. 23. 24. vox hæc appellativè sumpta, significat desertum, prout in versione nostra, cap. citato 19. ponit S. Hier. Porro tamen, cum LXX. utrobique ut nomen proprium accepissent, fieri, quòd nomen appellativum in nomen proprium transierit.

IESSE, Iudith 1. 9. videtur Bonfr. esse terra Gesen, cui opinioni correspondet textus Græcus, in quo habetur *Γεσση Γεσημ*: neque textus noster est contrarius.

IESUE, 2. Esdræ 11. 26. urbs in tribu Iuda.

IETA, Iosue 21. 16. urbs Sacerdotalis in tribu Iuda, quæ Iosue 15. 55. *Iota* appellatur; nec distincta ab *Asan*, 1. Paral. 6. 59. Eratque ætate S. Hier. vicus prægrandis Iudæorum, in decimo octavo lapide ab Eleutheropoli, ad Australem, sive partem in Daroma.

IETEBATHA, 4. Reg. 21. 19. urbs, ut S. Hier. in locis, antiqua Iudææ; vel oppidulum, sive vicus quidam ignobilis.

IETEBATHA, Num. 33. 33. & 34. & Deut. 10. 7. mansio filiorum Israël in deserto, in posteriori autem loco dicitur ibi esse *terra aquarum atque torrentium*.

IETHELA, Iosue 19. 42. urbs in tribu Dan.

IETHER, Iosue 15. 48. urbs tribus Iuda, atque Iosue 21. 14. & 1. Paral. 6. 58. inter eiusdem tribus urbes Sacerdotalis recensetur. Uti testatur S. Hieron. fuit villa prægrandis Iethira nomine, in vigesimo milliaro Eleutheropoleos: habitatores eius omnes, ut dicit, Christiani sunt. Fuit iuxta ipsum sita in interiore Daroma, iuxta Malathan.

IETHNAM, Iosue 15. 23. urbs in tribu Iuda, ac inter eas quæ erant à Meridie, iuxta terminos Edom. Sic Bonfr. pro suspecta habens descriptionem huius urbis Eusebianam.

IETHSON, Iosue 21. 36. urbs Levitica in tribu Ruben, quæ 1. Paral. 6. 79. *Cademoth* nominatur. Vide *Cademoth*.

IETTA, LXX. Iosue 15. 55. Vide *Ieta*.

IEZER, 1. Paral. 6. 81. Vide *Iazer*.

IEZRAEL, Iosue 15. 56. urbs in tribu Iuda, inter Iota, & Iuradam.

IEZRAEL, Iudic. 6. 33. vallis inter montem Hermon ab

Aquilone, montem Gelboe ab Austro, ab Occidente in Orientem procurrens.

IEZRAEL seu **IEZRAHEL**, 3. Reg. 21. 1. hanc Adrichom. locat in tribu Manasse; & in tribu Issachar Bonfr. & certè ponitur in utriusque tribus confinio. De eadem habes plura, Iudic. 6. 33. Fuit autem vallis tota vel ferè tota in tribu Issachar. Tempore S. Hier. grandis vicus ostendebatur in campo maximo, inter Scythopolim & Legionem; fuit autem terminus Issachar.

IEZRAEL seu **IEZRAHEL**, 1. Reg. 29. 1. Fons. Vide *Fons Iezrahel*.

IEABARIM, Num. 33. 44. & 45. mansio filiorum Israël in deserto.

IIM, Iosue 15. 29. urbs in tribu Iuda. Nicol. Sanson eam confundit cum *Esem*, eam autem ex textu citato transpositam in tribu Simeon arbitratur, sub nomine *Asem*, Iosue 19. 3. ex *Iim* & *Esem*, Iosue 15. 29. faciens *Iim Esem*. Tamen Ioan. Clericus *Iim* & *Esem* duas distinctas urbes vult esse, propter copulam *Et*, quam Iosue 15. 29. LXX. & Vulgatus noster legerunt in suis Codicibus Hebræicis, ut nos in nostris.

ILLYRICUM, Rom. 15. 19. regio quæ ad dexteram Danubii ripam, Græciæ, sive Macedoniæ, & Trachiæ adiacet, & à Mari Adriatico usque ad Pontum Euxinum extenditur.

INCENSIO, Num. 11. 3. locus in deserto, cuius nominis ratio cap. citato datur.

INDIA, Esther 1. 1. Asiæ in Oriente regio, ab *Indo* flumine sic dicta. Patria longè latèque diffusa, apud nos modò India Orientalis dicta, ut distinguatur contra Indiam Occidentalem, quam Americam vocamus, & vetustioribus ignota fuit.

INIMICITIAE, Gen. 26. 21. nomen putei alterius ab Isaaco in regione Geraritica effossi.

IOPPE, Iosue 19. 46. & frequentius; utrùm fuerit civitas in tribu Dan inclusa, vel solum in illius tribus confinio, ex textu S. Scripturæ clarè non eruitur. Urbs hæc maritima Hebræicè vocatur *יָפוֹ Iapho*, quod cum nomine *Iapha*, quod etiamnum habet, congruit: nam etiamnum urbs illa, & portus manet, ad quem peregrini, qui religionis causâ Terram Sanctam adeunt, appellere solent.

IORDANIS, Gen. 13. 10. & frequentissime occurrit: ita ut hic ferè Terræ Promissæ unicus sit fluvius, in Scriptura nominatissimus. Iuxta Libanum oritur in extremis Iudææ terminis Aquilonaribus, ubi duo fontes sunt, *Ior* & *Dan*, à quibus mixtis iuxta urbem Dan, hic fluvius & aquas, & nomen accepit. Ab hisce fontibus usque ad mare Galiliæ vocatur *Iordanis minor*; à loco unde effluit ex isto mari usque ad mare mortuum ac torrentium aquis, ibi latiore feratur alveo. S. Hier. qui in locis dicit, quòd Iordanis dividat *Iudæam*, *Arabiam*, ac *Aulonem*, intellexit per *Iudæam*, omnem terram à Iudæis occupatam; per *Aulonem*, vallem, quæ non tantum cis, sed etiam parte sui erat trans Iordanem; ac per *Arabiam*, intellexit etiam terram, quæ erat cis Iordanem.

IOTA, Iosue 15. 55. Vide *Ieta*.

IROTH vel **HIROTH**, LXX. Num. 33. 8. Vide *Phihahiroth*.

ISCARIOT, Matth. 10. 4. & sæpius vocatur Iudas proditor Iscariotes. Queritur utrùm fuerit quidam vicus in tribu Ephraim; vel utrùm non sit *Carioth* civitas in tribu Iuda; maxime quia *I* Hebræicè significat virum, ac sic *Iscariot* posset significare virum urbis vel vici *Carioth*, aut *Cariot*.

ISMAELITÆ, ab Ismael nuncupati populi, ex quibus Agarenii & Saraceni, Arabiam Petræam & Felicem incoluerunt. Ismael autem Gen. 25. 18. *habitavit... ab Hevila usque Sur*, quæ respicit *Ægyptum* introentibus *Assyrios*.

ISRAEL. Hoc nomine tota gens Hebræorum intelligebatur, usque ad regni divisionem, quæ sub Roboamo filio Salomonis accidit; à quo tempore nomen illud ad significandum populum decem tribuum regnum Israël constituentium, fuit usurpatum. Inde derivata nomina, *Israëlita*, *Israëlites*, & femininum *Israëlitis*.

ISSA-

ISSACHAR, una ex decem tribubus filiorum Israël, in inferiori Galiliæ parte Australi, à mari magno seu Mediterraneo, ad Iordanem usque protensa, tribum Zabulon habens ad Aquilonem, & dimidiam tribum Manasse ad Meridiem.

ISTHEMO vel **ISTEMO**, Iosue 15. 50. Vide *Eshamo*.

ITABYRIUM, LXX. Osee 5. 1. pro quo noster textus & Hebræus discretè habent *Thabor*.

ITALIA, Num. 24. 24. Regio Europæ, urbe Roma ac Pontificum sede nobilissima, notior, quam ut explicari debeat.

ITURÆA, 1. Paral. 5. 19. cuius populi nominantur *Ituræi*: unde etiam patet Ituræam extra Israëlitarum fines fuisse. Ex modo loquendi Luc. 3. 1. eam à Trachonitide distinctam esse, indicatur, verisimilius intrâ terram Israëlitarum trans Iordanem.

IUCADAM, Iosue 15. 56. urbs in tribu Iuda.

IUD, Iosue 19. 45. civitas in tribu Dan.

IUDA, tribus inter duodecim præstantissima, cui contigit fors amplissima, nimirum urbes 115. ei assignantur, Iosue 15. Habuit ab Ortu mare mortuum, ab Occasu tribus Simeon & Dan, ab Austro Idumæam, ab Aquilone tribum Benjamin.

IUDA, Regnum, quod complectitur tribus Iuda & Benjamin, post divisionem.

IUDÆA DESERTUM, Iudic. 1. 16. quod est ad meridiem *Arad*.

IUDÆA, totius Asiæ regio nobilissima, in Orientali maris mediterranei littore, & inter Syriam, cuius pars fuit, & Ægyptum, à qua desertis Idumææ separatur, posita. Varia pro variis temporum rationibus sortitur nomina. Terra Chanaan primum est vocata, Gen. 11. 31. à Chanaan filio Cham. Secundo dicta est terra promissa, ex quo Deus eam Abraham promisit & femini eius, Gen. 12. 7. Terra Israël Ezechiel. 7. 2. & Regnum Israël, 1. Reg. 28. 15. A tribu Iuda, omnium tribuum præstantissima Iudæa dicta est; non tamen arcatur ad regionem, quam tribus Iuda obtinuit. Unde fusissima significatione tam latè extenditur, quam ipsum Iudæorum nomen, atque adeo ad omnem regionem, quam cis, & trans Iordanem Israëlita possederunt. Aliquando restrictius capitur, ut à regione trans-Iordanica vel Samaria & Galiliæ distinguatur. Quandoque, diviso regno, Iudæa sortem tribus Benjamin & Iuda tantum complectitur. Iudæa autem omnis ætate Christi divisa est in Galiliæam, Samaritanam, Iudæam propriè dictam, Trachonitidem, Ituræam, Peræam ac Idumæam. Terra Sancta à quibusvis Christianis vocatur, eò quòd in ea Iesus Christus, Deus-homo factus, natus & educatus vixerit, miracula innumera fecerit, mortem pro hominibus passus fuerit, & resurgens in cælum tandem ascendit. Quare vocetur *Palestina*, vide in voce *Palestina*.

IUDÆA MONTANA, Lucæ 1. 39. Vide *Montana Iudæa*.

IUNIPERUS ELIÆ, 3. Reg. 19. 4. & 5. huius positio videtur ad minimum unius diei itinere à Bersabee, & in deserto.

L

L**ABAN**, Deut. 1. 1. non videtur Bonfrerio fuisse locus coniunctus cum iis, qui Deut. 1. 1. citantur: sed fuisse locus in deserto, non procul à monte Sinai. A candore ita videtur appellatus, nam *לָבָן Laban*, candorem significat.

LABANA, Iosue 15. 42. Vide *Lebna*, 1.º

LABANATH, Iosue 19. 26. Vide *Abulab*.

LABOEMATH, LXX. Iudic. 3. 3. pro quo in versione nostra est, *ad introitum Emath*: unde has voces Hebræas *לְבוֹא חַמַּת Lebo Chamath*, reddiderunt LXX. *εἰς τὴν εἰσοδὸν Εμαθ*.

LACEDÆMONIA, 2. Mach. 5. 9. Laconicæ urbs primaria, quæ alio nomine *Sparta* dicitur. Vide *Sparta*.

LACHIS, Iosue 15. 39. & 2. Esdræ 11. 30. urbs in tribu Iuda; hanc expugnavit Iosue cap. 10. 32. Tempore S. Hier. villa erat in septimo milliaro ab Eleutheropoli euntibus Daromam.

LAHOLA, 1. Paral. 5. 26. Assyriorum regio, ad quam Israëlita ab Assyriorum rege translati sunt. Vide supra *Hala*.

LAHEM, 1. Paral. 4. 22. non videtur Bonfrerio alia ab ea, quæ Iosue 15. 40. *Lebeman* vocatur, & tribui Iudæ adscriptur.

LAISA, Laïs, Iudic. 18. 7. eadem civitas in parte extrema Boreali totius Terræ Promissæ, quæ Iosue 19. 47. *Lesem*, & eodem 1. *Lesem Dan*, ex nomine Patriarchæ *Dan* fuit dicta. Unde non tantum Iudic. 20. 1. sed constanter, ubi termini Terræ Promissæ in longitudine assignantur, *Dan* appellatur. Fuit certè civitas extra sortem tribui *Dan* assignatam, inter tribum Nephtholim & dimidiam tribum Manasse Trans-Iordanicam. Locatur ergo iuxta Libanum eo loco, ubi duo fontes *Ior* & *Dan* concurrunt, Iordanemque minorem constant. Eadem Christi tempore dicta est *Cæsarea Philippi*, de qua vide supra. Postea dicta est *Panæas*, teste S. Hier. in Ezechiel. 27. & in Amos 8. & in Matth. 17. Rationem huius nominis haurit Calmet ex eo, quòd ponatur ipsa civitas ad radices montis *Panii*.

LALISA, Iosue 10. 30. & 1. Machab. 9. 5. civitas, ut ex annexis colligitur, in Benjamin.

LAMPSACUS, 1. Mach. 15. 23. urbs in Myfia, ad Hellepontum.

LAODICIA, Coloss. 2. 1. urbs quæ hoc indigitatur nomine, ac in Scriptura occurrit, est ipsa, quæ in Phrygia ad Lycum fluvium reponitur à Ptolemæo, teste Bonfr.

LAPIS ADIUTORII, 1. Reg. 4. 1. Vide *Abenezzer*.

LAPIS BOEN, Iosue 15. 6. & cap. 18. 18. locus in communibus terminis tribus Iuda & Benjamin.

LAPIS EZEL, 1. Reg. 20. 19. Vide supra *Ezel*.

LAPIS ZOHELETH, 3. Reg. 1. 9. locus in suburbano Hierosolimitano, vicinus fonti Rogel, ubi se. ad Orientem montis Sion, Adonias se regem inaugurari curaverat.

LASARON, Hebr. Iosue 12. 18. Vide *Saron*.

LATITUDO, Gen. 26. 22. nomen est putei ab Isaaco in regione Geraritica effossi.

LEBAOTH, Iosue 15. 32. Vide supra *Beshlebaoth*.

LEBNA, Iosue 10. 29. & cap. 12. 15. quam sub nomine *Labana*, tribui Iuda attributam habes, Iosue 15. 42. ac inter Sacerdotalis recensetur, Iosue 21. 13. & 1. Paral. 6. 57. ubi *Lobna* scribitur. Ætate S. Hier. erat villa in regione Eleutheropolitana, quæ appellabatur *Labaa*.

LEBNA, Num. 33. 20. & 21. mansio filiorum Israël in deserto.

LEBONA, Iudic. 21. 19. oppidum in tribu Ephraim, ad Aquilonem urbis *Silo*.

LECHI, Iudic. 15. 9. Vide *Ramath-Lechi*.

LECUM, Iosue 19. 37. qui locus, quantum probabiliter colligi potest, & resurgens in cælum tandem ascendit. Quare vocetur *Palestina*, vide in voce *Palestina*.

LEGIO, urbs cuius apud S. Hier. in libro de locis Hebræicis, frequentius fit mentio, atque ex situ illius, aliarum urbium distantia sumitur: quamvis in Scriptura non occurrat. Colligit Bonfrer. quòd fuerit ad Orientem montis Thabor, in tribu Issachar. Calmet vult esse locum, qui etiamnum *Legune* nuncupatur.

LEHEMAN, Iosue 15. 40. urbs in tribu Iuda. *Lebeman* legendum esse, contendit Ioannes Clericus; quia Hebræicè scribitur *לְהֵמָן Lebhaman*.

LESA, Gen. 10. 19. Scriptura indicat fuisse circa Sodomam & Pentapolim. Confunditurque ex sententia S. Hier. eandem Bonfr. cum *Callirhoe* iuxta mare mortuum, ubi aquæ calidæ prorumpentes, in mare mortuum defluunt. *Callirhoe* meminit Ioseph. lib. 17. Antiq. cap. 8. & lib. 1. Belli cap. 21.

LESEM, Iosue 19. 47. Vide *Laïs*.

LEVI, tribus una filiorum Israël, eaque Sacerdotalis; per alias tribus dispersa, nec specialem habens regionem: quæ proinde non spectat ad Geographiam.

LEVITÆ LOCUS, Iudic. 19. 18. *in latere montis Ephraim*.

LIBANUS, Deut. 1. 7. omnium totius Terræ promissæ mons celeberrimus, qui radices longè latèque extendens, tribuum Afer & Nephthali limites, ipsamque Terram Pro-

SSSS 3

mif-

missam à Septentrione claudit. Mons ipse altissimus, & nihilominus fertilis & amœnus, in valles & campos hinc inde effusus, ubique flores, olivas & vineas producit sed & Abietes, Cedri, Cupressi, varietate arbores thuriferæ, & herbæ medicatæ, in monte Libano abundè producuntur. Sæpissimè in textu S. occurrit.

LIBIAS, cuius non ita in textu S. quàm in locis Hebraicis fit mentio, in honorem Livie matris Tiberii exstructa vel reparata est. Vide supra *Betharan*.

LIBYA, Ezech. 30. v. 5. Africæ regio ampla; sed desertorum vastitate, ac arenarum cumulis infamis.

LYBIA, Act. 2. v. 10. hæc circa Cyrenen dicitur sita.

LINGUA MARIS SALSISSEMI, Iosue 15. v. 2. limes Orientalis est tribus Iudæ, & litus maris mortui, quod sæpius occurrit in textu S.

LITHOSTROTOS, Ioan. 19. v. 13. Vide *Gabbatha*.

LOBNA, Iosue 21. v. 13. Vide *Lebna* 1.º

LOCUS ELENITIUM, Iudic. 2. v. 1. Vide *Clautomon*.

LOCUS IDOLORUM, Iudic. 3. v. 26. erat in Galgalis, sic dictus ab idolis, quæ Moabitæ ibi coluerant.

LOCUS MAXILLÆ, Iudic. 15. v. 14. Vide *Ramath-Lechi*.

LOD, 1. Paral. 8. v. 12. & 1. Eldræ 2. v. 33. & 2. Eldræ 11. v. 34. urbs in tribu Benjamin.

LODABAR, 2. Reg. 9. v. 4. locus, in quo morabatur Miphoboseh, quando cum David ad se vocavit, & ipsi restituit agros Saul, &c.

LOTHAN, S. Hier. in locis, qui dicit, quod fuerit urbs Ducum Edom.

LUTH, Isaiæ 15. v. 5. & Ierem. 48. v. 5. in Hebræo est לוחית *Luchith*, fuit autem ipsa urbs apud Moabitas, ac postea in tribu Ruben. Hier. & Beda, teste Bonfr. *Luth*, maxillam interpretantur. Erat & ætate S. Hier. vicus inter Areopolim & Zoaram, nomine *Lutha*.

LUZA, Gen. 28. v. 19. & sæpius. Vide *Bethel*. Ea autem in confinio quidem tribus Ephraim & Benjamin est ponenda, sed tribu Ephraim absolute adscribenda, ut liquet ex Iudic. 1. v. 22. & deinceps. Unde nos supra, Bethel locum, in quo visionem Iacob habuit, in tribu Benjamin reponimus, urbem verò vicinam, eamque unicam, *Luzam* in tribu Ephraim fuisse iudicamus. Nec obest, quod *Luz* cum *Bethel* etiam in textu S. confundatur.

LUZA, Iudic. 1. v. 26. Videtur illa extra Terram Promissam ponenda.

LYBIA, Ezech. 27. v. 9. in editione Vaticana, 1598. Vide *Libia*.

LYCAONIA, Act. 14. v. 6. Asiæ Minoris regio, ac pars Cappadocia.

LYCIA, 1. Machab. 15. v. 23. Asiæ Minoris regio maritima.

LYDA, 1. Mach. 11. v. 34. hanc in tribu Ephraim reponit Nicol. Sanfon. Act. 9. v. 32. & seqq. *Lydda* vocatur, ac alio nomine dicta est *Diospolis*; & *Lydda* prope ad Ioppen legitur, Act. 9. v. 38.

LYDDA, Act. 9. v. 32. Vide *Lyda*.

LYDIA, Isai. 66. v. 19. Ierem. 46. v. 9. Ezechiel. 27. v. 10. & 30. v. 5. in quibus locis *Lydi*, *Lydi*, vel *Lydia* nunc cum Æthiopia, nunc cum *Lybia*, nunc cum Africa coniungitur; hinc *Lydiam* & *Lydos* in Africa ponit Nicol. Sanfon.

LYDIA, 1. Machab. 8. v. 8. ubi nominantur *Lydi*, quos Asiaticos ponit Nicol. Sanfon, eò quod cum Indis & Medis Asiaticis coniungantur.

LYSTRA, Act. 14. v. 6. civitas Lycaonia.

LYSTRA, Act. 27. v. 5. civitas in Lycia.

M

MAACHA, 2. Reg. 10. v. 6. & 8. ac 1. Paral. 19. v. 6. ubi vocatur *Syria Maacha*. Censet Bonfr. probabiliter Cælefyriæ partem eandem esse cum *Termino Machati*, qui extremus terminus Trans-Iordanicæ regionis constituitur, versus Septentrionem. Hebræica quippe utriusque vocis scriptio congruit. Adeoque hæc civitas termino, seu tractui illi nomen dedit.

MAARA SIDONIORUM, Iosue 13. v. 4. locus, vel immanis spelunca, in extremis Sidoniorum terminis.

MABSAR, sic S. Hier. cuius ætate vicus grandis erat in regione Gabalena, & appellabatur *Mabsara*, ad urbem Petram pertinens.

MABSAR TYRI, LXX. 2. Reg. 24. v. 7. ubi nostra Vulgata habet *Mania Tyri*. Significat vox Hebræa מַבְסָר *Mabsar*, munitionem; & sic non tam propria, quàm appellativa censetur vox.

MACCES, 3. Reg. 4. v. 9. ex adiunctis eo loco civitatibus, colligitur eam in tribu Iuda, vel Dan, sive in utriusque tribus confinio, fuisse.

MACEDA, Iosue 15. v. 41. urbs in tribu Iuda, ob speluncam, vel castrum, in quo quinque reges sese absconderant, celebris; sive spelunca in ipsa civitate, sive iuxta in eius suburbano fuerit.

MACEDONIA, Act. 16. v. 9. & 10. & frequentius. Græciæ regio nobilissima, maximè propter Alexandrum Magnum. Antea *Cethim* vocata fuit. Vide *Cethim*.

MACELOTH, Num. 33. v. 25. & 26. Israelitarum statio in deserto.

MACHATHI, Deut. 3. v. 14. Iosue 12. v. 5. & 13. v. 11. dicitur *Terminus Machati*, qui licet cum termino *Gessari* iungatur, equidem ab eodem distinguitur. S. Hier. in locis dicit: urbs est super Iordanem, iuxta montem Ermon, de qua exterminare non valuerunt filii Israel Machateum. Vide *Maacha*.

MACHMAS, 1. Reg. 13. v. 2. & sæpius; oppidum in tribu Ephraim, sed in extremis ad Austrum finibus. 2. Eldræ 11. v. 31. Scribitur *Mechmas*. Ætate S. Hier. ostendebatur vicus grandis in finibus Æliæ, antiquum nomen retinens, novem ab ea millibus distans, iuxta villam Rama.

MACHMETHATH, Iosue 16. v. 6. & cap. 17. v. 7. urbs in dimidia tribu Manasse Cis-Iordanica, sed in confinio tribus Ephraim.

MADABA, 1. Mach. 9. v. 36. & 37. Vide *Medaba*.

MADBARES, LXX. Iosue 5. v. 6. in *Eremo Madbaride*, cum tamen in Hebræo tantum sit unica vox מדבר *Midbar*, quæ eremum seu desertum significat: hinc eo loco nostra versio nil habet, quàm in deserto.

MADIAN, Exod. 2. v. 15. regio una iuxta mare rubrum, in qua habitavit Moyses 40. annis.

MADIAN, Num. 25. v. 6. Regio prope terram Chanaan, ut patet ex contextu historiarum: uti vicissim idem patet ex Iudic. 6. ubi dicuntur filii Israël aliquando Madianitis servasse, quos à servitute Madianitarum liberavit Gedeon, Iudic. 7. & 8. Patet & idem ex Iudic. 2. v. 16. A Madian quarto filio Abraham ex Cetura, Gen. 25. v. 2. Madianitæ dicti sunt populi, & terra eorum *Madian*.

MADON, Iosue 11. v. 1. & cap. 12. v. 19. Ut colligitur, fuit civitas in partibus Aquilonaribus Terræ Promissæ, non procul Afor. Vide *Abdon*.

MAGALA, 1. Reg. 17. v. 20. locus, in quo erant castra Saulis, cum ad ea venit David, adversus Goliath dimicaturus.

MAGDALEL, Iosue 19. v. 38. urbs in tribu Nephthali. Eratque ætate S. Hier. parvus vicus in quinto milliario Doræ, pergentibus Ptolemaidem.

MAGDALGAD, Iosue 15. v. 37. urbs in tribu Iuda. Significat hæc vox *turrim Gad*; vel *turrim exercitiis*; vel *turrim bonæ fortunæ*.

MAGDALUM, Iosue. Belli. lib. 2. cap. 25. & Antiq. lib. 18. cap. 1. arx, ut dicit, prope Gamalam; unde credunt alii Mariam Magdalenam nomen obtinuisse.

MAGDALUS, Exod. 14. v. 2. & Num. 33. v. 7. Erat *turris*, prout vox indicat, iuxta quam facta est tertia mansio filiorum Israël, prope mare rubrum. Non sola autem turris fuit; huius quippe tamquam urbis celeberrimæ in Ægypto, meminit Ieremias 44. v. 1. & cap. 46. v. 14. LXX. scribunt *Magdolom*.

MAGEDAN, Matth. 15. v. ult. ubi Gr. *Magdala*: locus, quem Marc. cap. 8. v. 10. *Dalmanutha* appellat: estque trans Iordanem, cum dicatur esse *circa Gerasam*, quæ indubiè in Trans-Iordanica regione fuit.

MA-

MAGEDDO, Iosue 17. v. 11. & 1. Paral. 7. v. 29. urbs in dimidia tribu Manasse Cis-Iordanica, pristinos autem habitatores inde non eiecerunt Manassæ, ut habes, Iudic. 1. v. 27. Fuit autem ipsa in confinio tribus Zabulon ad torrentem Cifon, ut colligitur ex Cantico Debboræ Iudic. 5. v. 19. & 21.

MAGETH, 1. Machab. 5. v. 26. & 36. urbs in Galaaditide.

MAGOG, Terra, à Magog, uno è Iapheth posteris, sic dicta. Nominatur ipse, Gen. 10. v. 2. Censetur terra ab omnibus partibus *Scythia* vel *Tartaria*. Vide *Gog*.

MAGRON, 1. Reg. 14. v. 2. fuit locus vel vicus iuxta Gabaa Saulis, ut ex textu citato liquet. Meminit & huius loci Isaias cap. 10. v. 28. LXX. in omnibus Codicibus *Magdon* legunt, quod facile evenit, cum sint affines apud Hebræos figuræ ג & ד, ita ut una pro altera facile legatur.

MAHANAIM, Gen. 32. v. 2. locus est trans Iordanem, iuxta torrentem, seu vadum *Iaboc* à parte Septentrionali. In eo postea excitata est urbs, quæ idem nomen retinuit, & una ex præstantissimis urbibus ultra Iordanem fuit. Cecidit autem in sortem tribus Gad, Iosue 13. v. 26. ac inter Leviticis eius tribus civitates numeratur, Iosue 21. v. 37. & 1. Paral. 6. v. 80. ac frequentius *Manaim* nuncupatur. Derivatur ab Hebræica voce מַחַנַּיִם *Machanaim*, quæ vox *castra*; vel potius *gemina castra* significat. Hinc eundem locum vel urbem, Latina voce, *Castra* appellari legimus, 2. Reg. 2. v. 8. & sæpius.

MALLUS, 2. Machab. 4. v. 30. ubi legimus *Mallotas*. Vide *Melothi*.

MALOGANATUM, 1. Reg. 14. v. 2. locus, in extrema parte territorii Gabaa, munitissimus & abruptus. Idem est, qui *Petra Remmon* dicitur, Iudic. 20. v. 47. *Petra Remmon* Hebræicè idem est ac *scopulus malogranati*. Nominabatur sic ab arbore vel fructu, quo quandoque locus abundaverat; aut fortè figura similis erat; aut in eo loco adhuc notabilis talis arbor cresecbat.

MAMBRE, Gen. 13. v. 18. Vide *Convallis Mambre*.

MAMBRE, Iudith 2. v. 14. torrens in Mesopotamia. In Græco textu est *Abrona*.

MANAHATH, 1. Paral. 8. & 6. civitas vel regio in terra Moab.

MANAIM, Iosue 13. v. 26. Vide *Mahanaim*.

MANASSES, tribus una in duas partes divisa; altera cis, altera trans Iordanem descripta est, ac duplicem in divisione Terræ Promissæ partem obtinuit. Num. 32. v. 33. & Iosue 13. v. 7. Trans Iordanicæ, regio Bafan à Iaboc, usque ad montem Libanum data est; Cis-Iordanicæ, terræ tractus, inter tribum Ephraim ad Meridiem; Issachar, ad Septentrionem; Iordanem, ad Orientem, assignatus est, Iosue 16. & 17.

MAON, Iosue 15. v. 55. urbs tribus Iuda.

MAON, 1. Reg. 23. v. 24. & 25. desertum ad dexteram *Ierusalem*, in quod fugit David à facie Saul. Videtur illud ab urbe nomen mutasse: erat autem tota illa Australis regio ferè deserta.

MAON, Ierem. 48. v. 23. legimus *Bethmaon*, quæ vox significat domum *Maon*. Vide *Bethmaon*.

MARA, Exod. 15. v. 23. & Num. 33. v. 8. & 9. mansio filiorum Israël in deserto, ab amaris aquis nomen habens. Significat hæc vox *amaritudinem*.

MARE CENERETH, Num. 34. v. 11. & sæpius, ab urbe in eius littore posita, sic dictum. Matth. 4. v. 18. & promiscuè, *mare Galilee*, quia Galileam alluit; nec non & Ioan. 21. v. 1. *Mare Tiberiadis*, ab urbe in eius ripa posita, nuncupatur. Denique Luc. 5. v. 1. *Stagnum Genesareth*, ab ipsa regione, quæ terra Genesareth dicta est, appellatur. Est autem stagnum; mare tamen dicitur Hebræorum idiotismo, qui quasilibet paulò maiores aquarum collectiones vocant *maria*. In hoc mare Iordanes minor influit, iuxta Capharnaum, & erumpit non procul Scythopoli, efficiens Iordanem maiorem. Habet iuxta Iosue. lib. 3. Belli, cap. 35. aliàs 18. in longitudine 100. stadia, 40. in latitudine, &c.

MARE GALILÆÆ, Matth. 4. v. 18. Vide *Mare Cenereth*.

MARE IAZER, Ierem. 48. v. 32. ab urbe vicina, *Iazer* dicta, nomen sumit, eò quod verisimilius iuxta eam civitatem in latum, præ multitudine fontium sese effundat. Dicit S. Hier. in locis, ex urbe *Iazer* magnum flumen erumpere, quod à Iordane suscipitur.

MARE MAGNUM, Num. 34. v. 5. & frequentius. Est ad Occidentem terræ Chanaan, hocque Scriptores tum Græci, tum Latini, *Mare Mediterraneum* appellant, eò quod Asiam, Africam & Europam interluit. Deut. 11. v. 24. vocatur *Mare Occidentale*; & Ioel. 2. v. 20. vocatur *Mare novissimum*, uti & Zachar. 14. v. 8. Vocatur autem *Mare simpliciter*, Iosue 11. v. 2. & cap. 15. v. 46. Isai. autem 11. v. 15. *Mare Ægyptii*.

MARE RUBRUM, Exod. 10. v. 19. & frequentissimè. Græcis *Erythreum* vocatur, & per illud aliquando tractus à Gange ad ultimum Africæ promontorium pene intelligitur. Propriè ab antiquis *Sinus Arabicus* dicitur, quod inter Africam, ubi Ægyptus & Æthiopia, & Asiam, ubi Arabia, sese extendat. Unde dicitur *Rubrum*, disputatur. Voces Hebrææ מַרְוֵי יַם *iam Edom*, quæ significant *Mare Idumææ*, ob ambiguitatem vocis *Edom*, quæ tam est nomen proprium viri, quàm appellativum, significans *rubrum*, versæ sunt, *Mare Rubrum*.

MARE SALIS, Gen. 14. v. 3. Vocatur Num. 34. v. 3. *Mare Salsissimum*; & Deut. 3. v. 17. *Mare Deserti*; ac Deut. 4. v. 49. *Mare Solitudinis*; nec non sæpius *Mare Mortuum*. Hoc *Mare Mortuum*, Iosepho, aliisque pene omnibus Græcis, Latinisque Scriptoribus vocatur *Asphaltites Lacus*, teste Nicol. Sanfon, propter bituminis copiam, quam certo anni tempore eiecit. Eius magnitudinem facit Ioseph. lib. 5. Belli, cap. 5. stadiorum 580. & latitudinem 150. stadiis definit, &c.

MARE TIBERIIDIS, Ioan. 21. v. 1. Vide *Mare Cenereth*.

MARESA, Iosue 15. v. 44. urbs in tribu Iuda; & frequenter occurrit.

MARETH, Iosue 15. v. 59. civitas in tribu Iuda.

MARIBOTH, LXX. Ezechiel. 47. v. 19. & cap. 48. v. 28. Significat autem ea vox *contradictiones*, numero plurali; vel *contradictionem*; unde nostra versio iis in locis ponit, *aquas contradictionis*.

MASAL, 1. Paral. 6. v. 74. hæc urbs sub nomine *Messal*, inter urbes tribus Afer recensetur, Iosue 19. v. 26. & inter Leviticis nominatur, Iosue 21. v. 30.

MASALOTH, 1. Machab. 9. v. 2. ubi sita fuerit hæc urbs, certò definiti non potest; cum alibi eius Scriptura non meminerit. Eam Bonfr. in Galilee ponit, eò quod esset in Arbellis, quæ in Galilee erant; ac eam in tribu Nephthali ponit Adrichom.

MASEPHA, Iosue 15. v. 38. urbs in tribu Iuda. Vide *Maspha* 3.º

MASEREPHOTH, Iosue 11. v. 8. & cap. 13. v. 6. ubi nostra versio utrobique habet *aquas Maserephoth*, & conformiter S. Hier. in locis, legit *Maserephoth*, & conformiter enim aquas significat. In Hebræo habetur מַיִם מִשְׁרֵפֹת *Maim Mirephot*, quæ voces Latine reddite, significant *adustiones aquarum*. Videtur hic locus à Scriptura in finibus Sidoniorum constitui.

MASOBIA, 1. Paral. 11. v. 46.

MASPHA, Iosue 11. v. 3. regio in dimidia tribu Manasse Trans-Iordanica. Neque hæc cum *Maspha* tribus Gad, ex Iosue 13. v. 26. confundi potest, quasi in utriusque tribus confinio fuerit; cum hanc à tribu Gad Scriptura nimis removeat, ad radices *Hermon* eam collocans; atque adeo in extremis ad Boream terminis dimidiæ tribus Manasse; cum tribus Gad ad eisdem dimidiæ tribus Manasse; plagam esset. Fortè melius confundi posset cum *Maspha*, Iosue 11. v. 8.

MASPHA, 1. Reg. 22. v. 3. trans Iordanem, in terra Moab. Vide *Mephaath*.

MASPHA, 1. Mach. 3. v. 46. dicit Scriptura hanc fuisse contra Ierusalem, ac in ea orationis publicæ locum: hanc Euseb. ponit in tribu Iuda; & fortè Script. Iosue 15. v. 38. sub nomine *Masepha*, uti & Iosue 18. v. 26. sub nomine *Mes-*